

4357/B

B.xxiv. Cos

all missing

1/6





FRIDERICI BOERNERI

LIPSIENSIS

ARTIS SALVT. DOCTORIS ACADEMIAE CAESAREAE MA-  
TVRAE CVRIOSORVM ET SOCIETATIS TEVTONICAE  
DVCALIS HELMSTAD. SODALIS

DE


COSMA ET DAMIANO

ARTIS MEDICAE DIIS OLIM ET  
ADHVC HODIE HINC ILLINC-  
QVE TVTELARIBVS

COMMENTATIO.



CVM FIGVR. AEN.



HELMESTADI  
STANNO LEVCKARDIANO  
A. MDCCLI.



VIRO  
ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO  
PRAECLAREQVE DOCTO  
DOMINO  
FRANCISCO ERNESTO  
BRÜCKMANNO

PHILOSOPHIAE ET ARTIS SALVTARIS DOCTORI,  
ACADEMIAE CAESARAE NATVRAE CVRIOSORVM  
REGIAEQVE SCIENTIARVM BEROLINENSIS  
NEC NON COLLEGII MEDICI DVCALIS  
BRVNSVICENSIS SODALI ET POLIATRO  
WOLFFENBVTELENSI

VIRO  
DE RE MEDICA ET LITERARIA VNI  
VERSA IMMORTALITER  
MERENTI

S O C E R O S V O  
OMNI PIETATIS OBSERVANTIAEQVE CVLTV  
AETERNVM PROSEQVENDO

N A T A L E M S V V M  
QVINQVAGESIMVM QVINTVM

D. V. CALEND. OCTOBRIS A. R. S. MDCCLI.

FELICIORE REDEVNTEM SIDERE

PIE CELEBRANTI

SACRA.





**Q**uo majori superioribus mensibus afficiebar tristitia, cum grauissimo fatisque diro et atrocissimo laborares morbo, ita vt de vita TVA actum etiam videretur, SOCERE OMNI PIETATE AETERNVM COLENDE; eo nunc hodie impensius laetor atque gaudeo, cum ex periculo illo TE non solum diuinitus liberatum saluumque et incolumem, quae summa DEI nostri est gratia, videre, verum etiam NATALEM TVVM bonis redeuntem auibus, exosculari queam. O laetum igitur diem candidoque notandum lapillo! quem tot expectarunt boni, tot ardentissimis a SUMMO NUMINE precibus effla-

gitarunt aegroti, tot exoptarunt amici, nos omnes TVI anxie fumus precati. O laetum diem, quem piis omnes boni, amici, aegroti, TVI prosequuntur votis! Egone igitur solus fileam? Hoc imperare mihi plane non possum. Dudum enim pietatis in TE meae officiique ratio publicum poposcit documentum, qui hoc ante ipsum triennium et paucos quod excurrit dies, vnicam TVAM filiam, dulce amoris mei decus atque praesidium, ex TVIS amplexus sum amplexibus; qui tot tamque paternis me, coniugem, deliciasque nostras communes, filiulam meam cumulatam video beneficiis, qui non ita pridem epistola quadam de ACADEMIA PRAGENSI ex eruditissimis TVIS itinerariis, gratiose a TE mihi dicata, ornatum me deprehendo. Perfungar itaque aliqua iam ex parte officio meo, et quamvis probe perspiciam, quod vix ac ne vix quidem TVA beneficia enarrare, ne dicam remunerari valeam; deficientibus tamen viribus, non ingrati TIBI fore voluntatem, persuasum mihi habeo certissime. Circumspicienti vero mihi, quale nec TIBI plane ingrati, neque hoc etiam die, publi-  
ca-

caque quadam scriptione indignum eligerem  
argumentum, en ipse hic dies, quo in lu-  
cem olim, superioris scilicet seculi anno SE-  
PTIMO et NONAGESIMO editus es, quique  
in fastis COSMAE et DAMIANO dica-  
tus est, illud offert nec eos silentio praeterire  
finit. Liceat igitur mihi, pace TVA, in  
praesenti de vita martyrum horum praecla-  
re acta, pro virium modulo quaedam pro-  
ferre TIBIQUE dedicare, TIBI, qui ipse ar-  
tem medicam ornas, et tot aegrotis auxilium  
praebes atque solatium; TIBI inquam, qui  
hunc eorum diem anniuersarium celebras na-  
talem. Accipe igitur, quaecumque hoc Sche-  
diasmation serena, vt soles, fronte, et  
mecum tantorum virorum recale memoriam.  
Ego vero SUMMVM PRAEPOTENSQVE NV-  
MEN ardentissimis imploro precibus, ve-  
lit TE omni ex alto beare salute, vitam dare  
perennem, valetudinem prosperam, senectu-  
tem longam atque vegetam, conatibus TVIS  
annuere, laboresque, quos in mortalium su-  
scipis salutem, secundare, TEQVE cum  
CONIVGE TVA, SOCRV mea, omni qua  
decet pietate colenda, FILIISQVE TVIS diu  
diu-

diuque saluos, sospites, atque incolumes con-  
feruare. Quod si fiet, vti plane non dubito,  
et nos laeti tuum amorem fauoremque pater-  
num exosculari, fruique eo diu diuque poterim-  
us, cui quippe me et meos velis habere com-  
mendatissimos. Vale, O DECUS MEDICI-  
NAE! Vale ex voto. Vale diu. Dabam ipso  
die COSMAE et DAMIANO sacro  
XXVII. Sept. A. MDCCLI.





DE  
**COSMA ET DAMIANO**

ARTIS MEDICAE DIIS OLIM ET ADHVC HODIE  
HINC ILLINCQVE TVTELARIBVS.



uos singulari olim religiosoque apud va-  
rias gentes prosequutos fuisse legimus  
cultu, summi, veri vnicique illius  
Numinis quasi ministros consiliorum-  
que diuinorum exsequutores, rerum  
omnium praesides, et mortalium a-  
pud Superos mediatores, suo nomine dictos *Deos tutela-*  
*res*; hos non populis solum vniuersis, gentibus, familiis, singu-  
lisque hominibus, regionibus, item prouinciis, ciuitatibus do-  
mumque cuius bonos quasi custodes, qui malorum ab iis auerte-  
rent fraudes atque infidias, hominumque preces et sacrificia ad

B

DEVM,

DEVM, sancti illius confessus praesidem, *huius* vero leges et instituta sacra ad istos referrent, constitutos fuisse deprehendimus: verum eosdem etiam scientiis et artibus, quibus in inueniendis, perpoliendis, propagandis tuendisque occupati essent, familiares fuisse, varia antiquarum historiarum testantur monumenta.

Alto enim turgidi fastu hoc quondam veteres populi Graeci imprimis, atque, qui hos imitati sunt, Romani, habebant singulare, vt rerum suarum omnium initia augustiora nunquam non facturi, artium et scientiarum primum originem atque inuentionem a Diis, quos colebant, immortalibus profectam esse, et sibi et aliis omni omnino studio persuadere haud dubitarent.

Missis iam aliis omnibus liceat hoc in praesenti solius probare exemplo artis salutaris. Huius enim omnium scientiarum humanarum reginae mortaliumque conseruatricis, tanta ex merito apud eas gentes erat existimatio tantaque auctoritas, vt nullus fere celebriorum, quos putabant, esset Deorum Dearumque, cui non aliquam saltem in inuenienda expoliendaque ea adscriberent partem. Hinc magna apud hos populos HERMETIS semper, ISIDIS, SERAPIDIS, BACCHI, APOLLINIS, AESCVLAPII, HYGEAE, PANACEAE, PALLADIS, DIANAЕ, CHIRONIS, PROMETHEI, TELESPHORI aliorumque fuisse deprehendes nomina; hinc tutelaria numina coluerunt, quae pro restituenda valetudine conseruandaque sanitate implorare consueuerunt; hinc tanta eorum erat auctoritas, vt nominum eorum religione HIPPOCRATES, Medicorum maximus, discipulos etiam suos ad fidem adstringere voluerit (a).

Sed

(a) Vid. *Eius Iusiurandum*, statim ab initio.

Sed de his quidem agere in praesenti mihi non est constitutum, cum egregie iam hac opera perfunctos esse sciamus, superioris seculi insigne ornamentum IOH. HENR. MEIBOMIVM, (b) nostrique aevi medicum clarissimum CAROLVM FRIDER. HVNDERTMARKIVM (c). Propius mihi est recentiora respicere tempora, eiusque aevi renouare memoriam, quo gentilium diis remotis, noua in Pontificiorum cerebris nata surrexerunt *numina tutelaria*, et in his quidem inter alia etiam COSMAS et DAMIANVS, fratres germani, quorum tanta quidem nuper fuit auctoritas, passimque et adhuc hodie est existimatio, vt arti medicae positos eos esse videamus patronos praesides atque custodes.

De *his* igitur aliqua iam iam pro virium modulo differere, fata eorum ex antiquitate eruere, vndeque factum potissimum sit, quod tantae sint fuerintque apud nonnullos existimationis, excutere placet.

COSMAS et DAMIANVS, *quorum* memoriam coniunctim, sanctam die XXVII. Septembris professa olim est ecclesia christiana (d) et apud nos etiam hoc adhuc die in fastis leguntur nomina, fratres fuisse dicuntur germani (e),

B 2

Pa-

(b) In eruditissimo elegantissimoque suo in *Iusiurandum HIPPOCRATIS Commentario*.

(c) Vid. eius doctissima de *Principibus Diis artis medicae tutelariibus, apud veteres Graecos atque Romanos*. Dissertatio Lips. 1735.

(d) Vti STURMIVS refert in *Calendar. et Hist. Martyr.*

(e) Conf. de *Probatis SS. historiis ex Aloysii Lipomacii aliisque collectis per Laurentium Surium Carthusianum. Tom. V. Sept.*

Patre probo viro, cuius tamen nullibi nomen legisse memini, matreque pia et religiosa *Theodora* nati *Aegeae*, quae vrbs fuit Arabiae haud incognita, distinguenda tamen ab alia eiusdem nominis Macedoniae vrbe, in qua reges clarissimosque viros sepeliri morem fuisse *Cluuerius* (f) cum aliis testatur.

Haecque ipsa famigeratissimorum virorum patria, quo infocundior quidem est naturae prouentibus, (ad Austerum enim proiecta, Asiam inter et Africam media est, ab ipsaque natura prouida alias omnium rerum satisque benigna matre neglectui habita) eo pradicanda magis felicior, quod tantos produxerit viros, qui eximia praeclaraque excellentis ingenii laude claruerunt, magnamque ea propter adepti sunt famam. Tam excellentibus enim a natura dotibus, tam interrita in ardua quaeuis indole, tamque capaci scientiarum, ad quas animum appellerent, instructi dicuntur ingenio, vt iam eo tempore, quo viuere ceperant, aegrotantium non solum lectulis assidue adesse, verum et aegros, alloquio, ope, auxilioque solari valuerint.

Et quamuis prima quidem aetate sacris eruditi fuisse  
vi-

*Sept. et Octob. Colon. Agrip. 1574. fol. pag. 365. seqq.*  
FRANCISCI MARIAE FLORENTINI *Matyrologium*  
*Romanum. Luccae 1668. fol. pag. 878. seqq.* ANDR. TI-  
RAQVELLI *Opera omnia, Fr. 1574. fol. Tom. 1. pag. 143.*  
CHRIST. BENEDICT. CARPZOVII *Disp. de medicis*  
*ab ecclesia pro sanctis habitis. Lips. 1700. p. 13. §. X.*

(f) In *Introduct. in Geographiam veterem et nouam* pag.  
m. 369.



## DIIS ARTIS MEDICAE TUTELARIBVS. §

videantur literis, viri clarissimi, adultiores tamen facti, cum quod potissimum deligerent vitae genus, quaque ratione plurimum inferuissent mortalium commodis, animo circumspicere ceperint; praestare iis medicina, ex qua hac in vita maxima in mortales redundat utilitas, caeteris omnibus scientiis visa est. Edocti igitur necessariis ad futuram vitam requisitis, ita in publicum prodierunt, ut eorum, quae perdidicerant, in luce iam publica ponerent, omniumque bonarum virtutum simul professione celeberrimos clarissimosque tam mirando sanandi dono, a Spiritu Sancto, ut aiunt, instructi nullum morbi genus tam graue esse perspexerunt, tam periculosum aut desperatum, quod adhibitis mediis non curarent, idque non vani quidem lucri, pretiique aut alius mercedis causa, sed in *Deum* verum et crucifixum fidei confessionisque placidi exactores, quo ipso illud sanandi donum et multo illustrius splendidiusque reddiderunt, et *ἀναεργυρον* nomine a scriptoribus fuerunt insigniti.

Quamquam vero hi optimi viri, multorum, aegrotantium solatia atque asyla, tot iuuarent imbecilles, neminemque laederent, naturae penetralia scrutarent (g), et quicquid officii postulabat ratio, sancte obseruarent; nihilominus tamen ea propter varias calamitates quin immo et ipsum martyrium effugere minime potuerunt. Cum enim doctrinam christianam a parentibus acceptam firmiter in animos imprimerent suos, impressamque fideliter retinerent, retentam strenue constanterque profiterentur, pro-

B 3 fessam

(g) Ita medicamentum quoddam *Opopiva*, quod *Arnaldus* in *Antidotario* describit, ab iis inuentum esse dicitur.

fessam confiterentur; factum inde esse legimus, ut in manus inciderent *Diocletiani*, cuius quidem tempore vixerunt, infensissimi illius Nummi's nominisque christiani hostis, cuius diis immolare nollent, crudelissima persecutione, variisque, satis diris tormentorum generibus a *Lysia*, qui Imperatoris nomine curabat rempublicam in Aegypto Arabiaque, prius excruciatum, tandemque post tormenta multa, post vincula, carceres, mare et ignes, cruces, lapidationem, sagittas aliaque pericula diuinitus superata, una cum tribus fratribus germanis et ipsis medicis, ANTHIMO, LEONTINO et EUPREPIO circa annum post Christum natum trecentefimum, capite constanti pro suo redemptore animo apud Egram ciuitatem truncati, coelestibusque hac morte coniuncti et in sanctorum numerum cooptati sunt (h), corporibus prope oppidum Cyrum sepultis (i). An vero verum sit, quod *Gregorius Turonensis* (k), de binis

(h) Vid. THEOD. ZWINGER in *Theatro vitae humanae*. Vol. IV. p. 1288.

(i) Quam ipsam ea propter, *Iustinianus* Imperator eximia in hos sanctos pietate insignem fecit urbem, uti testatur PROCOPIVS de aedificiis *Iustiniani* Lib. II. p. m. 49. Βασιλευς *Iουστινιανος* ἀμα μὲν προνιαυτῆς πολιτείας ποιῆμενος, ἀμα δὲ καὶ τὰς ἁγίας Κοσμῶν τε καὶ Δαμιανὸν τὰ μαλιστα σεβῶν, ὧν δὴ ἀγχιῖα πῆ τὰ σῶματα καὶ εἰς ἐμὲ καίται, πόλιν εὐδαιμονα καὶ λογῶ ἀξίαν πολλῶ, τειχῶς τε ἀσφαλεια ἐχυρωτάτῃ, καὶ φρερῶν πληθεῖ, καὶ οικονομίων δημῶσιων μεγεθεῖ, καὶ τῆς ἀλλῆς κατασκευῆς τῷ εἰσαγαῖν μεγαλοπρεπει, πεποιητῶ κυρον. κ. τ. λ.

(k) De *Gloria Martyrum* Colon. 1583. 8. Lib. I. Cap. XCIX. p. 128.

nis hisce fratribus refert, quod scilicet solo virtutum merito et orationum interuentu languentium depellere potuerint infirmitates, et si quis infirmus ad eorum tumulum fide plenus orauerit, statim adeptus fuisset medicinam, iique ipsi Sancti languentibus et medelam cupientibus aliquando appareant, quidque facere debeant, indicent, quod cum fecerint, sanentur, id quidem aliis diiudicandum relinquimus, ad nos quod attinet, vanis his fabulis certam fidem a prudentioribus, non dicam Christianis, dandam haud esse putantes.

Interim tamen in magno fratrum horum martyrumque bigam, propter suam in arte medendi scientiam, honore fuisse habitam, post exantlata martyria, exinde etiam patet, quod *Iustinianus* Imperator, eorum, vt credidit, beneficio, ab aegritudine grauissima liberatus, percelebrem in gloriam eorum erexerit Basilicam, vt notat *Procopius*. Ita enim (1) ille: Κατα δε τες κολπες το περας, εν τε τω ανανται και ισχυρως ορθω, τεμενος εκ παλαις ΚΟΣΜΑ τε και ΔΑΜΙΑΝΩ αγιοις ανανται. ε δη αυτον ποτε γενοσηκοτα πικροταται και δοκησιν περιεχομενον οτι δη αποθανοι, προς τε των Ιατρων απολελειμμενον ατε δη εν γεκροις κειμενον, ες οψν ελθοντες εσωσαντο οι αγιοι ετοι εκ τες παραδοξες και τες παραλογες, και ορθον εψησαν. Οις δη ευγνωμοσυνη αμειβομενος οσα γε τα ανθρωπεια, ολος εναλλαξας τε και μετασκευασαμενος την προτεραν οι κοδομιαν ακοσμοντε και αδοξον εσαν, εδε αξωχρεων τηλικοις αγιοις ανεισθα, καλλει τε και μεγαθει τον νεων καταλαμπρυνε και φωτος αιγλη. αλλα τε

(1) De *Aedificiis Iustiniani*, ex editione Claudii Maltereti Paris, 1663. Libr. I. Cap. VI. p. 17.

τε πολλά ἔπρωτερον ὄντα ἀνεθήκεν. ἔπειθ' ἀνδρες ἀρρώσημασιν ὁμιλῆσαι ἐν ἰατρῶν κρείττοσιν, οἳ δὲ τὴν ἀνδρωπειαν ἀπογοντες ἐπικερ-  
 ριαν, ἐπὶ τὴν μοῖν αὐτοῖς ἀπολελειμμένην ἐλπίδα χωρῆσι, καὶ γε-  
 νοιμενοὶ ἐν τῇ βαρῆσι, πλεῖσσι διὰ τῶν εἰσπλῆς εὐθύς ὀρωσιν ὡσπερ ἐν  
 ἀχροπολεὶ το τεμενος τῆτο ἀπείσεια μνυνομενον τε τῆ βασιλεως εὐγ-  
 νωμοσυνῆ, καὶ παραεχομενον τῆς ἐντευθεν ἐλπίδος αὐτοῖς ἀπο-  
 λανειν.

Idem Imperator aliud eodem teste *Procopio* (m) iis-  
 dem Martyribus dicatum in Pamphylia aedificauit templum.  
 Diuus vero *Sabas* paternam eorundem domum in templum  
 commutauit *Cosmae et Damiani* nominibus sacrum; *Fe-  
 lixque* Papa, cognomine vulgo *Sanctus* dictus, Sancti Gre-  
 gorii atausque eorundem nomini Basilicam erexit Romae  
 iuxta delubrum Romuli, inque eandem S. Georgius cor-  
 pora eorum inferenda curauit. Et adhuc hodie *Bolesla-  
 uiae* in Bohemia templum fratribus hisee sacrum inuenitur,  
 vt in praesenti altaria hinc illincque iisdem, *Sagittario* teste in  
*Historia Gothana*, sacra, taceam.

Propter eximiam vero, qua pollebant in Medicina  
 peritiam, artis medicae habiti sunt olim patroni diique tu-  
 telares. Hinc factum esse legimus, vt in plerisque Acade-  
 miis, quae ante reparatam veram atque vnicam religio-  
 nem euangelicam, conditae fuerunt, legibus constituere-  
 tur, vt numina quasi tutelaria sua, collegia medica cole-  
 rent diuos *Cosmam* et *Damianum*, (ita enim superstitione, quae  
 falso imitatur religionem, hominum occupauerat animos,)  
 prae-

(m) L. c. Lib. V. cap. IX. p. 107. edit. cit.

praeceptumque erat, vt dies illorum anniuersarius, qui vti supra monui, vicesimus septimus est Septembris, communitati medicorum in honore esset, solemnique celebraretur ritu. Ita dies hic Academiae Wittebergenſi festinus quondam fuit (n), antequam diuus noster *Martinus Lutherus*, discussis Pontificiorum tenebris, lucem dedit coetui christiano, quotannisque est celebratus, ad quam festiuitatem praesens Academiae Rector caeterique eius inuitabantur Professores, ne quid, quod ad splendorem dignitatemque faceret, iis deesset, proximusque a Rectore locus Decano et Collegio medico a Principe clementissime est attributus. Vltima pro horum Medicorumque Martyrumque honore et cultu missa celebrata fuit in schola ista Anno 1519. in aede arcis, curante hanc rem, vt videbatur, sacram, Decano *Thoma Esthaces*, vti verboſe de hoc argumento egit *Schato* (o).

Eadem vero religiosi cultus opinione factum esse opinor, vt horum, quales putabantur, diuinorum imagines, sigillo inſculperentur, quod Collegio Academiae istius Leu-coreae medico solemne esse constat.

Et adhuc hodie eadem festiuitas in Academiis, quae ſceptris Regum Principumque ecclesiae Romano-catholicae addictorum subiectae sunt, floret quotannisque dicto eorum die anniuersario solemni celebratur ritu. Fieri id Vien-

C

nae

(n) Vid. *Andr. Schatonis* eximii superioris seculi in Alma hac ornamentum Orat. de initis atque incrementis studii medici in Academia Witteb. in ipso Iubilaeo. 1652. apud Sueuum.

(o) Loc. cit.

nae in Basilica diui Stephani solemni oratione accepimus. Praeterea etiam in formula, qua noui medicinae doctores creantur, orationeque, quae peracto actu a doctore recens creato recitari solet, Martyrum horum fit mentio, vti scripta publica huius solemnitatis testantur (p). Ita enim in illa:

„ Id quod cedat in Dei Ter Optimi Maximi gloriam,  
 „ beatissimae sine labe virginali conceptae Virginis Mariae,  
 „ ac omnium sanctorum diuorum tutelarium, D. D. *Cosmae*  
*et Damiani* honorem. „ In hac vero inquit Orator:  
 „ Sigillatim in vestrum, diue *Cosma et Damiane*, quic-  
 „ quid est honoris, quod nobis hoc die accessit, luben-  
 „ tissime transferimus, bene gnari, Vos, vti totius rei  
 „ medicae, ita et nostrorum singulorum grauissimos  
 „ apud Deum existere patronos. Ecquid enim non fo-  
 „ ueatis praecipue gentem illam, quae vestrum imitata  
 „ exemplum calamitatibus et miseriis proximi omni  
 „ opera subuenire conatur! Quemadmodum itaque ve-  
 „ stris, diui tutelares, auspiciis nos totos consecra-  
 „ mus, ita supplices obtestamur, vt florem et de-  
 „ cus nostrae facultatis non modo illibatum perseuera-  
 „ re, verum etiam nouis in dies accessionibus augere fa-  
 „ ciatis! „ etc.

Sed de his satis. Nos, qui meliora edocti bonis il-  
 lis viris suum tribuentes honorem, sine tamen religioso  
 cul-

(p) Vid. Actum Inauguralem Medicum Viennae 1749.  
 peractum.

DIIS ARTIS MEDICAE TUTELARIBVS. II

cultu, neminem nisi summum illum Archiatrum, unicum verum Deum trinunum, agnoscimus Deum tutelarem.

Hic enim solus est, qui regit omnia atque gubernat; hic solus est, qui dedit mortalibus medicinam, eamque et nos cum illa conseruat atque tuetur; hic solus est, qui vires nobis mediaque succurrendi aegrotis clementissime largitur; hic solus, hic vnus, hic verus Deus est noster tutelarıs.













